

- iudicii*¹⁾). Item: *Et nunc filioli manete in eo, ut cum apparuerit, habeamus fiduciam et non confundamur ab eo in adventu eius*²⁾). Pro hoc, ut fiducię habendę tu adiutor sis³⁾), convertor ad te cum sacrificio bonę voluntatis, quę *si prompta est* ait apostolus *secundum id quod habet*
5 *accepta est, non secundum id quod non habet*³⁾). Et quidem si vita comes fuerit, spero, quod habebit voluntas hęc effectum, ut impleat votum, quod incepit supra memorati operis⁴⁾), ut tu, qui es^{b)}) in regno celesti cancellarius dignus regis Christi et sanctę eius genericis reginę prepotentis, sis etiam specialis patronus et tutor huius loci Deo dicati
10 et eidem perpetuę virginī, nec vacet alicui potentię seculari pręesse arcibus istis iamdudum semirutis et nunc semiustis, quia non expedit omnino monasticę professioni cohabitationem pati sive tam imminens confinium alienę conversationis. Verumtamen quomodocumque prove-
15 niat finis sive^{c)}) consummatio manufacti huius, quod a me iactum est, fundamenti, spero, quia voluntas, quę (ut iam dixi) prompta est, accepta erit et^{d)}) sicut in holocausto septem taurorum et septem arietum accepti fuerunt amici beati Iob, dicente Domino: *Iob autem servus meus orabit pro vobis, faciem eius suscipiam, ut non vobis imputetur stultitia, nec enim locuti estis ad me recta sicut servus meus Iob*⁵⁾), ita in bona
20 voluntate — dummodo mactemus quod maxime^{e)}) expedit duritiam quasi taurinę cervicis et ambitionem^{f)}) quasi arietini capitis, id est presumpti magisterii sive ducatus in grege Christiani populi⁶⁾) — suscipiemur per te et convertetur ad te Dominus, o beate vir, suscipietque faciem tuam orantis pro amicis tuis. Eheu quam dubii stadium nos
25 currimus, at tu Laurenti laurum geris igne probatus ut aurum.

^{a)} Qualiacumque ... adiutor sis *fehlt J* ^{b)} quies *statt* qui es *M* ^{c)} sive *fehlt M* ^{d)} et sicut *bis Schluß fehlt J* ^{e)} maximā *A*, maximam *M* ^{f)} prae-
sumptionem *M* (*A*, korrigiert in den Errata)

¹⁾ 1. Joh. 4, 17 ²⁾ 1. Joh. 2, 28 ³⁾ 2. Cor. 8, 12 ⁴⁾ s. o. c. 18
⁵⁾ Job 42, 8 ⁶⁾ S. o. S. 431